



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

Ulloa, Joannes de

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput 7. Coordinatio eorum, quæ hactenus dicta sunt, & systema ultimi
quadriennii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

CAPUT VII.

Coordinatio eorum, quæ hactenus sunt dicta, & Systema ultimi Quadriennij.

CV. Systema inquam, quod probabiliter videtur, erui ex scripturis prolatis in hac disputatione, & cui facem præferunt Daniel, & Joannes, scribentes juxta sibi exposita per Angelos de decem Principibus futuris in Romano Imperio, id est, in Regionibus, quibus olim constabat Imperium hoc, item de Antichristo nascituro è medio eorum, quorum tres humiliabit, ut Danieli dixit unus ex eis assistentibus, & reliquos sibi devinciet; Item de truculenta bestia septentrionali (de qua tamen nihil dicit Daniel, sed Ezechiel & Joannes) & demum de die judicij futuro, non multum post hanc bestiam Gog divinitus occisam, ut Joannes insinuat. Verba Danielis magis præcisa, & castigata sunt: *A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium* (id est, cum ex edicto Antichristi, & sui Vicarii abrogatum fuerit sacrificium Missæ) *& posita fuerit abominationem in desolationem*, (hoc est publicè suffecta in locum Eucharistiæ imago illa Antichristi, quam hujus Vicarius faciet loqui ope diabolica, sicut olim loquebantur Idoli, & dare responsa consulentibus, ut olim dare solebant; quam abominationem innuere videtur Christus Dominus, inquit: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Prophetâ, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat; Tunc qui in Judæa sunt &c.* (ut supra notavi Capite I.) *dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies 1335.* Hi excitati præcisi, & singillatim dati numeri dierum, erunt nobis, quasi Ariadnæ filum: quoniam hinc habetur à prædicto nefario edicto usque ad Christi adventum, & usque ad Sanctorum regnum plenum, & perfectum, per reunionem sanctarum animarum cum suis corporibus, futuros dies mille trecentos triginta quinque, qui plures sunt, quam illi, quas Antichristus regnaturus est: nempe 1277. ut infra dicam, & consequenter habetur quod à morte hujus, & sui Vicarii usque ad ad-

R. P. Ulloa de Principio & fine Mundi.

ventum Christi, & regni Dei erunt quinquaginta circiter septem dies, hoc est numerus Jubilæi, & numerus respondens creationi mundi, ut sicut completit *Deus d. e septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod pararat, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Ita die septimo post Jubilæum remissionis à captivitate Antichristi (turbo namque ab aquilone venturus cum Gog & Magog instar fulguris transibit, & quidem innoxie, atque in solum senatum Ecclesiasticum irruet, ut sub finem n. 65. dicebam) cessabit Deus à conservatione hujus mundi veteris, & incipiet novus ille promissus in veteri, & in novo testamento: *Novos vero calos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat*, hoc est, renovabitur hic idem mundus, ut in Philosophia naturali explicui Disp. 4. n. 5. quia juxta easdem scripturas Scoriarum, quibus est refertus, igneo flumine eluendæ sunt.

CVI. Igitur series rerum futurarum in illis ultimis annis mundi sic coordinari posse videtur juxta Matthæum, Marcum, Lucam, Apocalypsim, & Paulum (quod attinet ad novum testamentum) Item juxta Ezechielem, & Danielelem, qui soli ex veteri testamento loqui videntur, magis clarè de illis temporibus: Et Systema articulis sequentibus constat i. ante ultimum quadriennium ad omnes habitatores hujus terræque globi perveniet lux Evangelica, quia Marcus loquens de ultimis eis calamitatibus, ait: *In omnes gentes primum oportet predicari Evangelium, sive, ut dicit Matthæus, in universo orbe in testimonium omnibus gentibus.* Imprimis hæc prædicatio non erit simplex narratio verbis, aut scriptis perveniens ad notitiam omnium gentium, sicut res aliæ humanæ solent narrari: Alias namque cum veritate dicit quilibet illorum hominum, quod cum fastu agebat superbus ille Rex: *In modico suades me Christianum fieri, sed erit prædicatio in testimonium omnibus; ergo quæ illos reddat inexcusabiles, si acquiescere nolint; ergo, quæ faciat Evangelicas*

gelicas veritates moraliter evidenter credibiles, evidentiâ morali respectivâ, & proportionatâ conditioni audientium: In resistantiam enim contra hanc evidentiâ moralem stare videtur ille infidelitatis caractèr, quem exprimit Dominus apud Marcum: *Ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant.* Cùm enim probare jubeamur, quid sit beneplacitum Deo: Et scriptum etiam sit. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint:* Inde est, quòd non quævis annunciatio Evangelij (excepto quando Deus providentiâ speciali supplet internè, quod externè deficit) obligat homines ad credendum; alioquin notitia verè probabilis, aut etiam omninò simplex Divinæ revelationis, sufficeret ad assensum fidei Theologicæ, quod jure est ab Ecclesia reprobatum. Prædicatio itaque, de qua per suos Evangelistas Dominus loquitur, faciet omnibus gentibus evidenter credibiles Evangelicas veritates evidentiâ unicuique proportionatâ; ergo faciet illas moraliter evidenter veras. Ambas consequentias probavi Tract. de fide. Deinde, cùm numerus gentium sit septuaginta duo, juxta septuaginta duas familias, quæ dispersæ sunt in

Genes. 10. & 11. confusione linguarum, septuaginta duas gentibus, sive populis Matricium, aut quasi Matricium linguarum diversarum,

Iy. lib. 7. init. (aliquæ penitus deletæ sunt, ut antiquissima Hetrusca, cujus unum duntaxat restat verbum *Histriones*) Evangelium prædicabitur. Vide Bedam.

Bed. Com. in Lucam.

- CVII. Sed non infertur necessariò ex verbis Christi, Evangelium fore prædicandum omnibus, & singulis individuis illis humanis: potest quippe intelligi universalitas ea, sicut illa alia: *Omne animal fuit in arca Noe;* nempe pro speciebus singulorum, non pro singulis specierum. Quamobrem Evangelium prædicandum est aliquibus, aut multis omnium gentium. De cæteris individuis humanis, qui in eo tempore non audient simpliciter, aut non audient sufficienter Evangelium, dicendum est, quod de innumeris aliis, quibus ab initio Ecclesiæ idem contigit, nempe, *quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem*

Ad Rom. 2. *quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem*

judicabuntur. Demum cùm ab octogesimo primo gradu versus Arcticum polum, usque ad nonagesimum per gyrum, & a sexagesimo tertio usque ad Antarcticum per gyrum, non potuerint nostri homines hætenus penetrare, explorandi causâ sint nec ne ibi gentes: imò cum neque angulos omnes Oceani, aut latebra America, & Africa, sed littorales fere solas Provincias perscrutati fuerint, & frequenter detegantur novi populi, ut nostra ætate detecti fuerunt Mariani, & modò deteguntur alii versus Septentrionem horum; Inde est, quòd definire nequimus, quot ex illis 72. gentibus, seu familiis, quæ initio dispersæ sunt, per hunc mundum, prædicatum est, & quot prædicatum nondum est Evangelium.

CVIII. *Secundò* post dictam prædicationem *tunc veniet consumatio*, ait Dominus. Cùm illud *Tunc* non sit capiendum Mathematicè, sed juxta latitudinem, quam secum ferunt res humane, ut supra probavi num. 74. & 75. & cum consumatio non consistat in indivisibilibus, videtur vox illa significare, quod paulò post eam universalem prædicationem incipient postremæ dispositiones ad consumationem sæculi: Et sicut in pompa celebri dicimus: *Jam venit Rex,* non quando transit vulgaris turba solitorum præcedere, sed quando Regia domus appropinquat, & sicut Christus Dominus dixit: *Jam non sum in mundo,* non multò, sed paulò antè suam passionem: Ita non multò priùs, sed quando postrema signa destructionis mundi, quæ jam subijcio, apparere incipient, nempe post universalem dictam prædicationem, *tunc veniet consumatio.* Ubi mementis, quod supra adverti: videlicet, Dominum dixisse hæc omnia non solum Discipulis tunc viventibus prædicantibus, & audientibus, non tamen victuris in ultimis annis mundi, sed etiam Fidelibus tunc quidem nondum natis, sed nascituris postea, & victuris verius finem mundi, ut hæc scientes *per partem & consolationem scripturarum sperentur*, quia ut ibi præmittit Apostolus: *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et quia de his eisdem rebus loquens Christus apud Marcum: *conchi-*

Marci 13. concludit inquit: Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilare; Et quia oportebat juxta generalem providentiam Dei ultimos illos fideles pramunitos esse adversus calamitates temporales, ac spirituales, tunc infurrecturas. Vide, quae dixi num. 58.

CIX. Terrio versus ultimum illud quadriennium possidebunt decem Reges, aut quasi Reges, antiquum Imperium Romanum, ut cap. 8. exponam, id est, Regiones ab ultima Hispania usque ad Euphratem, & ab Africa Septentrionali usque ad Rhenum: Quia ut supra dicebam, Bestia quarta, quam Daniel vidit, praefigurabat Imperium Romanum, prout erat, quando verè erat Imperium, ut frequenter intelligitur à Theologis.

Daniel. 7. Bestia quarta Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus Regnis &c. ut exposuit Danieli Assistens ille: At in illa bestia quarta vidit Propheta decem illa cornua, ut ibidem dicit ipse: Ergo haec decem cornua futura erant in Romano Imperio. At cornua illa praefigurabant decem Reges futuros. Porro cornua decem ipsius Regni decem Reges erunt &c. Ergo in eo Imperio erunt decem Reges, post quos, & è medio quorum nasciturus est Antichristus, qui tres illorum humiliabit: *Alius inquit, consurget post eos (sive de medio eorum, ut initio illius Capitis dicit Propheta) & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Sed non erant futuri initio, aut medio Imperii Romani, quippe ex nulla probabili historia constat fuisse hactenus in eo Imperio decem Principes (& quidem simul; nam hoc significare videtur illa simultas cornuum in eodem tempore, & in eodem capite illius quartae bestiae) è quorum medio exortus fuerit alius mediocri Princeps, qui tres illorum humiliaverit, & bellum illud indixerit Deo, & Sanctis, & in cujus manum hi traditi sunt usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis cum reliquis ibi adjunctis. Ergo videtur dicendum, Principes illos, sive Reges in ultimis temporibus futuros esse simul super Regiones, quibus priscum Romanum Imperium constabat. Eadem cornua decem eisdem Principes decem significantia, vidit Joannes in bestia significante diabolum gestans.

R. P. Ulton de Principio & fine Mundi.

tem Romam antiquam, & in altera praefigurante Antichristum. Repete, quae hac super re scripsi num. 50 & seqq. Neque ex eo, quod dicta cornua viderit Daniel in solo capite bestiae, inferas decem illos Reges, aut quasi Reges futuros esse in ipsa Urbe Roma, si ex eo, quod viderit illos in bestia praefigurante Imperium Romanum, infero ego, illos futuros fore in Regionibus Imperii Romani. Etenim loquens Propheta de bestia cornuta, loquitur consequenter ad figuram, & conditionem caeterarum bestiarum huius conditionis; cumque omnes illa gestent hoc instrumentum in solo capite, & non alibi, hac de causa, & non ad significandum omnes illos regnatos simul in capite illius Imperii, id est, Romae, vidit omnes illos Principes, seu potius illorum symbola in capite bestiae. Fateor, locum etiam proprium oculorum esse in capite, & non alibi, & tamen rotarum, quas vidit Ezechiel: *totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum Ezech. 1. quatuor, & similiter animalia, quae vidit Joannes erant plena oculis ante, & retrò; Apocal. 6.* sed cum hujusmodi hieroglyphica fuerint ex mero placito Divino, ex uno nequit formari paritas ad alterum, quia plenitudine, ac dispersione oculorum, voluit Deus significare mysterium: & licet potuerit, noluit tamen mysterium significare plenitudine, ac dispersione cornuum; sed reliquit illa in loco solito ad significandum multitudinem Principum, more etiam solito, nimirum, quod unusquisque erit in sua Regia distincta.

CX. Hi decem Principes brevi tempore regnabunt, quia potestatem tanquam *1b. cap. 17.* Reges una hora accipient; nisi forte illae voces una hora significant, quod omnes simul, & in eodem ferè tempore ascendent ad potestatem quasi Regiam; tametsi quoad alia non conveniant invicem, ut est valde probabile, & ut dicam infra, quoad conatum tamen evertendi Religionem Christianam, vel saltem Catholicam, conspirabunt simul (unde non erunt Principes Christiani: saltem Catholici non erunt) & haec verius est discessio, quam primum venturam praedicat Paulus, & tunc, nempe post decem hos revelandum Antichristum;

E e 2

De

Ibidem.

De illis namque dicitur. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & hanc pugnam inibunt, quia unum consilium habent & virtutem, & potestatem suam bestiae tradent: Et hoc, vel quia se, & sua commendabunt diabolo, ut ipsos adjuvet; vel quia diabolus, quo ut carnifice uti solet Deus, nudabit eos potestate, ac virtute, ut illam totam in unum Antichristum conferat. Diaboli namque erat imago bestia, de qua loquitur Joannes in eo Capite, ut explicui num. 53. consequenter ad odium hoc cum Jesu Christo, implacabili odio prosequuntur Aulam & Regiam Religionis Jesu Christi, nempe Romam; unde addit Joannes.*

Hi odient fornicariam (quia talis erat Roma, quando haec scribebat Joannes, atque ut talis illi obversabatur in visione, de qua ibi. Recognosce, quae scripta num. 54.) Et desolatam facient illam & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt: Et tunc erit prima fuga Ecclesiastici Senatûs, de qua re supra egi: Imminere itaque videtur à decem illis Principibus Hierosolymae Christianae, hoc est Romae, quod à Chaldaeis venit supra Romam Ecclesiae Haebrae, nempe, supra Hierosolymam lege Jeremiam. Et sit Nabuchodonosorem ministrum, & instrumentum Jerosolymitanæ tragediæ, sapè vocat

*Jerem. 52.**Id. 25. &**27. & 43.**Apocal. 17.*

Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi: in eo scilicet sensu, in quo olim induravit cor Pharaonis; quae enim Deus permittit duntaxat, interdum dicuntur in Scriptura male intellecta tanquam, si Deus vellet, ac præciperet, illa, essetve Author, & causa per se illorum, ut supra notavi; nempe quia speciali quadam ratione, & non generali duntaxat providentia permittit illa ad puniendum alia peccata priora, vel ad eliciendum bonum aliquod speciale, lege Augustinum, rem hanc disputantem.

S. Aug. de grat. & lib. arbit. p. 20.

§. II.

CXI. Talis futurus videtur status civilis, & politicus hujus mundi in ea par-

te, quam occupat Imperium Romanum: qualis autem extra eam futurus sit in eis temporibus v. g. in America, in Africa interioribus, & australi, in Asia orientali, in Europa septentrionali, non constat. Possumus verò conijeere tria. Primo has alias partes mundi, quae subjectae sint alicui ex Regionibus quondam componentibus Imperium dictum, securas fortunam illius dominantis, & consequenter adhæsuras Principi ex eis decem, qui dominetur ei Regioni v. g. Americam adhæsuram Principi illi ex decem, qui Hispaniæ dominetur. 2do. Cætera antiqua Imperia, quae Romano præcesserunt, peritura quoad qualem qualem splendorem quem tunc habebunt, & ex illo quadriennio duos solos annos utcunque duratura. Post narratam quippe occisionem, ac combustionem quartæ bestiae, hoc est, Romani Imperij, addit Daniel, se vidisse, quod aliarum quoque bestiarum adhaesurae potestas, & tempora vitae constituta essent usque ad tempus, & tempus. Etenim ex prisca eis Imperijs, quorum hieroglyphica ostensa fuerunt huic Prophetæ, adhuc durat cum magna potentia Persicum, licet multarum non paucis Provinciis: Et ostensum fuit Danieli sub specie urli tres ordines habentis in ore, & dentibus, quia Cyrus fundator illius Imperij cum Avunculo suo Dario adoretus est Babylonem tribus ferocibus gentibus stipatus, Medis, Parthis, & Persis durat utcunque Chaldaicum, licet devolutum majore ex parte ad Persas. Durat similiter Græcum devolutum quoque ad Turcas, retinentes idem Caput Imperij, quod habebant Imperatores Græci, quibus successerunt, nempe Constantinopolim. Horum omnium splendor obnubilabitur tunc, & qualiscunque fuerit, durabit solum usque ad tempus, & tempus, quae phrasis juxta hunc Prophetam significat duos annos, siquidem loquens in eodem Capite de Antichristo, dat illi tempus, & tempora, & dimidium temporis. Ubi communiter intelliguntur tres anni, & dimidium: 3tio. Videtur, quod gentes boreales, & multae aliae degentes extra limites alicui Imperij Romani tempore illorum decem Principum, & proximè successuri Antichristi

christi, non se immiscebunt eisturbulentis, sed quod quasi à longè eas aspicientes, quiescent, donec in novissimo annorum & in novissimis diebus, ut dicit Ezechiel, affurgat Gog, cui agglomerabunt se præcipuè populi septentrionales, uti dixi toto Capite 5.

CXII. Sed cum nova systemata mundi quoad dominia temporalia raro, vel nunquam fiant sine magnis bellis, tunc versus ultimum dictum quadriennium continget, quod Dominus prædixit.

Matth. 24.

Audietur enim estis praelia, & opiniones praeliorum, quoniam consurget gens in gentem, & regnum in regnum: Unde nascetur varietas opinionum, quam experimur, quando inter aliquas gentes ardet bellum, quia hi affirmant justitiam stare ex parte unius gentis, alij stare ex parte alterius; uni asserunt in tali praelio hos fuisse Victores, illi eos fuisse victos &c. Hæc bella, & praelia contingent, tunc antequam fiat dictum systema decem Principum, & contingent, ut illud fiat, tum postquam factum fuerit, quia naturale est, quod illi invicem se mordeant, & præterea, quia, ut dixi, conspiraturi sunt contra Romam, quam capient, spoliabunt, diruent, & comburent, quod absque armorum strepitu fieri non poterit: tum præsertim quia mox è medio illorum erumpet cornu illud parvum, id est Antichristus, qui decem eos Principes sedabit: tres illorum penitus delens, & cæteros sibi subiciens: quæ sanè absque sanguine & ferro non fierent, ut supra dicebam num. 51. sed cum hæc eventura sint versus ultimum quadriennium, addit Dominus loquens cum fidelibus tunc victuris. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis: scilicet quia restant adhuc quatuor anni: cum autem pestis, & fames soleant esse filix bellorum, his tunc sævientibus: Erunt pestilentia, & fames, & quia tunc nondum evangelaverit suum primarium gladium Antichristus, neque hujus Vicarius post hunc venturus, fecerit: quæ dixi num. 56. idcirco addit Dominus. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Demum cum mutatio, vel saltem corruptio Religionis, soleat sublequi mutationem Principum infidelium de novo regnantium,

Daniel. 7.

quibus utpote habentibus manus longas populi adulari solent, & cum decem illi Principes futuri sint inimici JESU Christi, ut dixi num. 110. eveniet tempore illorum, quod prædictum est ultimis illis fidelibus: Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, & tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem, & multi pseudoprophetae surgent, & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: quæ omnia ex natura ipsa rei sunt satis probabilia, posito, quod decem illi Principes tunc dominaturi eis hominibus cum Agno pugnabunt, Apoc. 17. ut prædicit Joannes, id est, inimici erunt JESU Christi.

Matth. 24.

Apoc. 17.

CXIII. Prædictionem Magistri venerati sunt Discipuli scribentes: spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, Et rursus. In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa: Erunt homines seipos amantes, cupidi, elati &c. Et cum Paulus non ignoraret, Thimotheum moriturum multò antè novissima tempora, idè non tam ad illum, quàm ad fideles tunc victuros dirigit illud: Er hos devota: sicut etiam Ezechiel loquitur cum Gog post multa sæcula nascituro, & sicut Iaias, Jeremias, Ezechiel, & alij Prophetæ loquentes, & promittentes, ut videbatur, ingentem gloriam spirituales ad Hebræos tunc sibi præfentes, neque loquuntur cum illis individuis, nec illis promittunt (siquidem illi individui non acceperunt) sed loquuntur, & promittunt eis, qui post multos annos venturi erant in mundum. Paulo consonat Petrus iniquens: Hoc

1. ad Tim.

2. ad Tim.

3.

Ezech. cap

38. & 39

2. Petr. 2.

primum scientes, quod venient in novissimis diebus deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes; ubi est promissio, aut adventus ejus: Ex quo enim Patres dormierunt omnia sic perseverant, &c. Hoc erit acerrimum telum, quo perfodere illos fideles conabitur turba Pseudoprophetarum illorum: quando venturus est vester JESUS? ubi sunt minæ, & promissiones ipsius? Ecce mundus totus sicut fuit, ita est; Ergo ita etiam erit: sed contra has ineptias armarunt ambo Apo-

Ee 3

stoli

Jud. v. 18. stoli ultimos fideles, & de novo armat illos B. Judas dicens: *Memores estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.* Itaque licet corruptio doctrinae, ac morum longe major sit futura in ultimo quadriennio, grassantibus Antichristo, & suo Vicario, juxta scripturas supra datas; hoc non tollit, quod magna etiam futura sit ante quadriennium illud, tempore nimirum eorum decem Principum inimicorum Jesu Christi, nec non illius turbae Pseudoprophetarum, quos meminit Christus Dominus, antequam incipiat loqui de Antichristo, nempe ante Versum 15. Capitis 24. Matthaei, & quando dicit: *Nondum est finis &c. Haec autem omnia initia sunt dolorum,* ubi insinuare videtur, turbam eam venturam ante filium illum diaboli post cujus adventum praedixit alios impostores: *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetae &c.* Ecce statum politicum, & Religiosum, quem habebit mundus paulo ante ultimum quadriennium.

CXIV. Quarto in hac rerum perturbatione, & temporum calamitate videntur eventura, quae dixi cap. 6. usque ad primam fugam Ecclesiastici Senatus ex urbe Roma propter persecutionem dictorum decem Principum, & urbis destructionem. Quanto circa initium ultimi quadriennii incipiet Monarchia universalis Antichristi, de quo egi n. 51. & saepe alibi. Incipiet diabolica fraudulentia sui Vicarii, de quo num. 56. & seqq. nec non specialis providentia Dei erga homines tunc futuros, auxilians illis adversus saevitiam, & fraudes amborum, de qua egi num. 57. quae omnia durabunt tres annos cum dimidio, ut

Apo. 11. saepe dixi: Continget poenitentia, praedictio, potestas, & postea suo tempore mors, resurrectio, ascensioque in caelum, Henoch & Eliae, quae claris verbis dicit Joannes, & quae ultima contingent Hierosolymae, quia ut ibi dicit Joannes, Contingent: *Ubi, & Dominus eorum crucifixus est, horum praedictio durabit diebus mille ducentis sexaginta,* nempe tribus annis cum dimidio circiter, quoniam tanto tempore durabit Tyrannis

Ibidem.

Antichristi & suorum, civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus: Filius namque ille iniquitatis diabolico odio exardens contra Jesum Christum, videns jam destructam ab illis decem Principibus suis Praedecessoribus regiam Christianae Religionis, nempe Romam, furorem suum convertet contra Hierosolymam venerabilem semper genti Christianae, propter passionem ac mortem Christi in urbe illa, & sicut sui Prodomi prophanarunt illa sacra loca, quia marmoream Veneris statuam in cruce loco collocarunt, & Adonidis simulacrum in loco Praesepii, atque Jovis in loco resurrexerunt, ita ipse toto tempore sui regni civitatem illam sanctam calcabit, prohibens, non inveniens aliam, in qua rabiem suam contra Christum Dominum exerceat.

CXV. Illi sancti duo Viri, qui modo tranquille degentes, nil aliud faciunt, quam lucere contemplatione, & ardere charitate erga Deum, & propterea dicuntur *dux olive, & duo candelabra in conspectu Domini terra stantes,* quia licet Dominus sit etiam caeli, at ipsi non sunt in caelo, sed in terra. Hi inquam duo soli (quippe de Joanne non constat, cum illud oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis. Commodè intelligatur de doctrinis, quam toti orbi Christiano dedit Joannes à capite immediate subsequente, nimirum ab 11. Apocalypsis. De Moyse quoque non constat, quamvis Maldonado valde inclinet in hunc loco Henoc) invenientes Regiones, quae saepe dixi in eo statu infelici, quoniam de illa Christi vinea dici poterit, *exterminavit eam aper de sylva, & singularis seris depastus est eam,* (nempe collegium decem illorum Principum) nec non impietas Antichristi, & sui Vicarii imbecillitatem quotidie majore, & majore impietate homines illos, assidue praedicabunt, testificantes Judaeis, atque gentilibus (nempe Christianis, qui secuti decem illos Principes, & Antichristum, relapsi sint in idololatriam) in Deum poenitentiam, & fidem in Dominum, nostrum Jesum Christum; sed cum Pharaeticorum sit contra Medicum insurgere, homines illeborum, & non à vino invehentur atroces in eos

Apocal. 11. eos duos viros. Atque idcirco, quando eos necatos videant corpora eorum non sinent poni in monumentis: Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos. Verum tamen sicut Judæi interdum voluerunt occidere Christum Dominum, & non potuerunt, quia nondum venerat hora ejus; Ita gens illa, & Antichristus, & suus Vicarius conabitur non raro tollere eos de medio; sed territi desistent; nam si quis voluerit eis nocere. ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum, qua potestate fungentur, donec veniat hora eorum, quoniam tunc bestia, quæ ascendit de abyſſo (scilicet Antichristus, ut dixi num. 51.) faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos: experientur itaque illi, quod olim Jeremias: Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die. Eveniet his duobus nuntiis Dei quod nuntiis missis ab Ezechia per totum Israel, ut gens illa reverteretur ad Deum: nam cursores pergebant velociter, illis iridentibus, & subsannantibus eos. Caterum, sicut in hoc ipso casu, quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem, ita nonnulli ex ultimis eis mundi hominibus acquiescent juxta dicta num. 58. prædicationi horum duorum; alioquin cur dicitur de Henoch: Translatus est in Paradisum, ut det gentibus poenitentiam: Cur de Elia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum; id est, inimicitias arcebit, quæ sunt inter populum Hæbreum, & populum Christianum, quia tunc reddam populis labium electum, ut invoent omnes in nomine Domini, & serviant ei humerovo, ut dicit Sophonias loquens de ultimis temporibus? Cur demique Christus Dominus asseverans Eliam jam venisse, id est, Joannem Baptistam, immediate antè dixit de Elia ipso in sua persona: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Continget itaque tunc, quod ferè semper contingit, quando multis, & hethe-

rogensis personis proponitur Verbum Dei; videlicet plurimi dissentiant, nonnulli assentiuntur: Sic electo Saule per Deum ad regnum, abiit cum eo pars exercituum, quorum tetigerat Deus corda, filij verò Belial dixerunt &c. Sic prædicante Paulo in Areopago, quidam irriserunt, quidam judicium suspenderunt, quidam verò viri adherentes ei, crediderunt: lege, quæ hac super re scripti num. 97.

CXVI. His bonis nuntiis conversionum hominum nonnullorum pascuntur etiam hi duo viri fugitivum absconditum Senatum Ecclesiasticum illius temporis, ut dicebam eo num. 97. quia non in solo pane, & aqua viveret ille venerandus Cœtus, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Scriptum est enim, quod sicut aqua frigida animæ siccanti (ardor quippe fitis videtur potius cruciare animam; quam corpus) ita nuntius bonus de terra longinqua: Item si de Israelitis dicitur, quod David pavit eos in innocentia cordis sui, quid mirum, quod Senatores illi Ecclesiæ pascantur ab Henoc, & Elia in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum, hoc est bonis operibus, & laboribus pro gloria Dei susceptis; Porro innocentia hæc apparebit illi Pontifici, quando ambo hi Prophetæ sese illi ostendant, & subjiciant: ostendent quidem, & prædicationem cum illo conferent: quoniam si Paulus antè atque verè, locutus. Notum enim vobis facio, Fratres Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi; postea hoc non obstante scribit de suo itinere post quatuordecim annos in Jerusalem: ascendi autem secundum revelationem (hoc est non ex mea privata devotione, sed ex præscripto cœlesti) & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum (non utique quoad veritatem, siquidem acceperat illud à Jesu Christo, sed quoad meritum humilitatis, debitæq; subordinatiōnis, quam Deus omnino vult observari, etiam à suis Proceribus) currerem, aut cucurrissem: nimirum, quia voluit Deus Doctorem gentium, dare hanc inter alias lectionem gentibus, humilitatis

1. Reg. 10

Acter. 17.

Prov. 25.

Psal. 77.

Ad Cat. 1

Ibidem. 2.

tatis videlicet, subordinationis, atque reverentiae ad ordinem Hierarchicum, quem ipse Deus instituit: si inquam Paulus sic se gessit, non est mirum, quod Henoc, & Elias, tametsi accepturi sint per revelationem à Deo, quae facturi, atque praedicaturi sunt; vadant nihilominus quaesitum absconditam illam Ecclesiam, communicaturi cum eo Capite visibili Ecclesiae, quae dicturi quoque facturi sunt, non utique, ne errent, quia confirmati in gratia, & veritate sunt, sed ut exemplum praebent humilitatis, debitaeque reverentiae, atque subordinationis ad Vicarium Christi, cujus fidem praedicaturi veniunt: & consequenter illi suam legationem manifestabunt cum evidentiā credibilitatis, de eo, quod ipsi sint illi duo Prophetae multis retrò saeculis promissi à Deo, quam evidentiā Deus ipse intrinsecus fovebit in illo Papa, & suis, ut hi suscipiant, & reverentur illos, ut par est; & illi non curant in vacuum, quoad meritum dictum. Hanc igitur innocentiam suam pascent illam Ecclesiam Henoc, & Elias.

CXVII. Pascent item aliam; nimirum subiectione sua ad illum Pontificem; tametsi enim non spectaverint olim ad Ecclesiam Evangelicam, & consequenter immunes fuerint à specificis hujus obligationibus; verum tamen venientes non ex mortuis, sed ex vita mortali separata à vivis, ad vitam mortalem cum vivis, & credentes in Jesum Christum, quem Redemptorem & Legislatorem reverebuntur, hujus quoque legibus tenebuntur latis pro omnibus mortalibus sine exceptione, quibus sufficienter propositum fuerit Evangelium. At una ex suis legibus sine exceptione est. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, ubi quamvis non addat, vel non baptizatus fuerit, alibi hoc sufficienter explicuit, quando dixit illi Principi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, ubi nulla prorsus est exceptio, aut discretio inter illos, qui prius non mortui, victuri erant post sufficientem notitiam, atque promulgationem Evangelij; ergo duo illi viri redeuntes ad commercium humanum, & quasi tunc nascentes in hoc*

mundo; cum semper fuerint viatores; nunquam autem comprehensores, tenebuntur baptizari, si baptizati non sint ab invicem. Sic Cornelius ille, quamvis aliàs Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosinas multas plebi, & deprecans Deum semper. His non obstantibus iustus est accersere Petrum, de quo inquit Angelus: *Hic dicit tibi, quid te oporteat facere: quod licet Angelus ipse posset dicere, noluit; sed quod Petrus diceret, nempe, ut servaretur ordo, & subordinatio, quam Deus vult inter homines; quod autem Petrus fecit post breve cathechesim, fuit, jubere eos baptizari, etiam si super ipsos jam descenderat Spiritus sanctus, & templum Dei erant. Baptizabuntur igitur Henoc & Elias (& consequenter subditi erunt Pontifici temporis illius: & spectabunt ad Catalogum Sanctorum novi testamenti) tametsi tot saeculis fuerint Religiosi, timentes Deum, & semper deprecantes illum. Item, sacramentum Eucharistiam suscipient: quia utpote baptizati, Christiani erunt; & omnibus Christianis rationis capacibus dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Et verosimilius videtur, quod Sacerdotes fiant, ut potestate sacrificandi, atque absolvendi fungentes, melius exequantur munus suum praedicandi in Deum penitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.**

CXVIII. Obiicies Augustinum scribentem: *In eis, qui nullum habent omnino peccatum, falsus est baptismus, qui in remissionem traditur peccatorum: At duo illi viri, quippe qui innocentissimam agunt vitam, confirmatique sunt in gratia, nihil habent, aut habebunt peccatum quoniam licet idem S. Doctor totus invehatur contra Caelestium in Epistola, seu Libro ad Eutropium, & Paulum de perfectione justitiae, ostendens neminem assecutum, vel assecutum in hac vita mortali, ut absque omni prorsus peccato vivat; quod maxime ostendit contra Pelagium ex oratione Domnica, inquit: *Tanquam sponsa ejus non sit, quae per universam terram, quoad ab eo dicitur, dicit. Dimitte nobis debita nostra, addit: cens insuper Autoritatem validam S.**

Marci 16.

Joan. 3.

Cypriani idem docentis; licet inquam ita doceat S. Doctor, loquitur, ut ex ipso contextu verborum colligitur de ordinaria providentia, quam Deus habere solet erga præcipuos etiam suos Sanctos; non de rarissima, singularique omnino, qualis est providentia, quam habuit, habet, & habebit cum his duobus solis viris viatoribus, de quibus ipse restatur. *Et sunt dua olive, & duo candelabra in conspectu Domini &c.* Et, quod

Apocal. 11.

Ipsi. 6.
Can. 22.

Caput est, generalis ea doctrina S. Augustini debet intelligi, prout illam explicuit Tridentinum, damnans eundem errorem Pelagij, & Celestij; nimirum hominem posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio (notat hoc) quemadmodum de beata Virgine Maria tenet Ecclesia; qui autem speciali hoc privilegio fruatur, & insuper certo sciat reflexe se nunquam peccavisse, aut peccaturum adhuc venialiter, non poterit dicere de se, *dimittite nobis debita nostra*, poterit autem dicere de corpore Ecclesie, cuius ipse est membrum, & sic poterat orare B. Virgo: poterit ite dicere de se ipso, intelligendo dimissionem pænæ propter peccata olim commissã ante tempus, in quo frui ccepit dicto privilegio, & sic poterunt orare hi duo viri: poterit demum dicere de se ipso pro tempore quoque præsentis, si non habeat prædictam reflexam certitudinem: Ex hoc toto Discursu infertur Henoc & Eliam non posse baptizari, quia aliàs baptismus illorum esset falsus.

XXIX. Probat objectio, B. Virginem, aut commississe aliquod peccatum, aut non fuisse baptizatam, aut baptismum fuisse in ea falsificatum. Quæ tria, quàm sint absurda, vides. Probat similiter, falsas esse formas baptismi, vel pœnitentiæ in eo, cui, quia dilexit valde multum ante Sacramentum, condonata sunt omnia peccata quoad culpam, & quoad pœnam. Igitur verba illa S. Augustini intelligenda sunt, vel de illo determinatè baptismò, qui in remissionem traditur peccatorum, id est, qui confertur determinatè homini peccatori; vel si S. Doctor loquitur, ut loqui videtur, de omni baptismò; intelligenda sunt ea verba de baptismò attentã ipsius institutione, atque, ut ferè semper traditur

R. P. Ulloa de Principio & fine Mundi.

(& hoc sufficiebat intentioni suæ, scilicet parvulos infectos esse peccato originali) non verò de omni profus baptismò. Tum propter exemplum Beatæ Virginis, cui certè collatum fuit hoc Sacramentum, & non in remissionem peccatorum. Tum quia sensus ambatum formarum, & baptismi, & pœnitentiæ non est; *Do tibi gratiam actu, & absolute remittentem peccatum; sed do tibi gratiam ex se; ac quoad sufficientiam remissionem peccati*, ut fusè explicui Tract. de Pœnit. Ambæ autem formæ essent veræ in eo, qui susciperet hæc Sacramenta absque ullo peccato, quod tunc remitteretur. Est tamen discrimen inter illa. Quia cum Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter constituatur aliqua peccati confessione, & hæc non possit esse vera, si nullum penitus fuit commissum, hæc de causa, qui nunquam penitus peccavit, incapax est in eo statu suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ. Et talis fuit Beata Virgo. Talesque videntur hi duo viri; quoniam ab eo momento, in quo translati fuerunt, nullum omnino commississe videntur peccatum; quæ autem ante momentum illud patrârunt, cum non fuerint patrata ab homine baptizato, non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: *Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi &c.* Et ratio hæc non urget contra susceptionem baptismi, cuius, nec materia, nec forma connectitur cum ullo peccato susipientis semper, & absque ulla exceptioe. Ergo licet B. Virgo nunquam habuerit illud, & licet hi duo viri ab instante suæ translationis, nullum commiserint; illa potuit suscipere, & hi suscipere poterunt baptismum; ergo illa suscepit, & hi suscipient. Premittit namque præter Scripturas supra datas universalis ille Canon; *Siquis dixerit baptismum liberum* (nempe post Evangelicam legem promulgatam) *hoc est, non necessarium ad salutem. Anathema sit.* Beata Virgo, & hi duo Propheta, licet nati, & viventes ante promulgationem Evangelij, & durante adhuc lege antiqua respectivè, vixerunt quoque tenore vitæ non interrupto, post hanc promulgationem. Baptizabuntur itaque hi duo, licet in-

Trid. Sess.
14. Cap. 20.

Trid. Sess.
Can. 5.

nocentissimi, & sanctissimi, sicut etiam sanctissima Virgo baptizata fuit, & licet non actualem remissionem peccati quoad culpam, aut penam, duos tamen pretiosos fructus adipiscuntur per baptismum, videlicet gratiam sanctificantem, & characterem Christianitatis, quo sancti Christiani discernuntur in caelo à Sanctis non Christianis: Quemadmodum apud homines quoque torquati nobiles discernuntur à nobilibus non torquatis.

CXX. Statuto, hos duos sanctos Viros baptizandos fore, & consequenter spectaturos ad Ecclesiam Christianam, quamvis nati sint, unus in tempore solius legis naturalis, & alter tempore legis Mosaicae (quia in hoc non attenditur tempus, in quo nascitur homo, sed illud, in quo vitae continuato tenore vivit, & moritur, ut constat ex Beata Virgine, Apostolis, & Discipulis Domini) sequitur, illos futuros esse oves Christi, & consequenter subditos illius, cui dictum fuit *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; ergo subditos Successores Petri, ergo subditos Episcopi Romani. Cum igitur se habebunt, quasi eo modo, quo Paulus Praedicator, & Doctor gentium electus à Christo, ut suum portaret nomen coram Regibus, & gentibus, & filiis Israel, sese habebat cum Petro Vicario Christi, qui Petrus retenta auctoritate supra Paulum tanquam supra ovem Christi, eum venerabatur, citabatur (sicut & Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis,) atque ut Canonica reverebatur ipsius scripta, quae indocti, & instabiles homines, inquit, depravant sicut & ceteras scripturas, ubi inter scripturas sacras dat locum scriptis Pauli. Sic Papa ille retenta auctoritate supra hos duos Prophetas viatores; & mortalem vitam viventes, tanquam Vicarius Christi supra hujus oves, reverebitur, adorabit, & venerabitur illos tanquam insignes Sanctos: Et Henochum titulo alio speciali, nempe tanquam avum suum, siquidem ille Papa, utpote descendens ex uno filiorum Noe, à quibus disseminatum est omne genus hominum super universam terram descendet eo ipso ab Henoc progenitore Noe, neque haec reciproca superioritas

in diverso genere abhorret ab humana consuetudine satis frequente.

CXXI. Cardinales enim, quamvis sint Electores summi Magistratus Ecclesiae, ex ipsiusque Collaterali Consilio, & secundum hanc rationem multò eminentius supra Episcopos, atamen quando in horum Diocesi sunt, nisi speciali fruantur privilegio, subiecti sunt illis quoad multa, quae ad jurisdictionem spectant, v. g. quoad potestatem audiendi & faciendi confessiones, quoad Casus illi reservatos, quoad observationem interdicti &c. Similiter quamquam Proceres Regni propter suam consanguinitatem, aut affinitatem cum Rege, & propter alta munera, quae obire solent in regno, longè superiores sint simplici Magistratu Urbis privatae, nihilominus Rex ipse vult, quòd quando habitum in ea Urbe, sint quoad multa Civili Magistratu simplici Urbis illius Subjecti. Neque prisca Sapientes putarunt impossibilem, aut futilem esse hanc muniam superioritatem in diversis generibus. Fabius quidem Maximus retenta maiestate paternam supra filium Consulem, lubens, & protinus descendit ex equo ad Imperium filij, sibi notificationem per litterorem, ab equo desiluit, citatoque quida Plautus ad filium contendit, amplexisque eum. *Verò tu, inquit, fili, qui agnoscis, in qua Magistratum, quantumque geras: Non erit igitur res ex genere tuo nova, inaudita, futile, aut ab humana consuetudine aliena, quòd agnoscentes hi duo Viri, in quos Magistratum, quantumque geras Ille summus Pontifex, ipsius dicto audientes sint, cum mortalem adhuc, & viatorum vitam tunc agant; quamvis aliàs propter tot alios titulos sint venerabiles, & in aliis rationibus, five generibus, superiores sint illo Pontifice. Huic ergo subditi erunt. Neque frigidè inferas fore, ut hic posset illos excommunicare, prohibere praedicatione &c. Quoniam licet posset potestate antecedente, sed non potestate consequente ad praesentem providentiam, qua Deus confirmavit illos in gratia & efficaciter praedestinavit ad munus illud, & consequenter noluit permittere in eo Papa istas, & similes actiones.*

2. Petr. 3.

Gen. 9.

Ibid. 5.

§ III

§. III.

CXXII. Continget 6. circa initium illius quadriennii insignis ea clades, quam suscepturus est Antichristus, de qua egi supra, illius reparatio per diabolicas artes: Universalis acclamatio populorum, & post hæc adventus illius Pseudopropheta, qui quasi Vicarius erit Antichristi quoad spiritualia occisura animas, cum ille curis regni occupatus nequeat consistere semper in eodem loco. Hæc omnia disputavi num. 61. Conditionem autem, & scelera illius pseudoprophetae explicui num. 56. & seqq. Antichristi verò num. 51. Continget 7. quod currente jam ultimo quadriennio, & reparata ea insigni clade, quam Antichristus suscipiet, & debellatis decem illis Principibus, & cooperante illo Pseudopropheta, & plerisque mortalium adorantibus diabolum,

Apo. 13.

& Antichristum adoraverunt Draconem, qui dedit potestatem bestiae, & adoraverunt bestiam, quamvis omnes habituri sint subsidia, quæ dixi num. 57. & seqq. Aperiet hic os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, (nempe sacrosanctam Jesu Christi

Ad Colos. 2.

humanitatem, in quo Jesu Christo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiæ absconditi, & in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & contra quem habebit privatum, & diabolicum odium) & eos, qui in celo habitant. Acerrimi sequaces hujus odii, & blasphemiarum

2. ad Tess.

erunt Judæi tunc superstites, ut dicit Paulus scribens: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati.* Et Judæis dixerat

Joan. 5.

Christus: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Videns autem, quod neque Christum, neque eos, qui in celo sunt, potest offendere plus quam verbis, detorquebit opera contra eos, qui

Apocal. 13.

sunt in terris, quoniam erit datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere illos, ut dicit Joannes, & Sanctos Altissimi contemnet, ut prædixit Daniel. Vide num. 83.

Daniel. 7.

Prodebunt tunc duo scelerata edicta, unum a Vicario Antichristi, ne quis pos-

R. P. Ulloa de Principio & fine Mundi.

sit emere, aut vendere &c. de quo egi num. 56. Alterum ab Antichristo, quo jure sacrificium Missæ abrogabit, ut supra dicebam, quia licet abrogatio illa jugis sacrificij, de qua Daniel Capite 8. & 11. quater loquitur, sit quæ ab Antiocho emanavit, ut ex contextu constat, qui insignis typus Antichristi fuit, & præfigurabatur cornu illo modico, quod egressum est ex quatuor cornibus, in quæ divisa fuit Monarchia Alexandris: ast abrogatio, de qua loquitur cap. 12.

A tempore cum ablatum fuerit jure sacrificium &c. non potest esse alia, nisi quæ ab Antichristo emanabit, & præfigurabatur in ea, cujus Author fuit Antiochus: Ubi nota obiter, hunc Prophetam prædicere sanè, quæ faciurus erat nequissimus Antiochus; non tamen, quæ hic solus faciurus erat, quoniam hunc vidit cap. 8. sub figura cornu modici orituri ex uno illorum quatuor; quæ dixi, & prævalituri contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem: Ergo Antiochum vidit, ut distinctum ab eo Tyranno, quem Capite inmediate antecedente viderat sub figura cornu parvuli orti de medio decem cornuum, & tria horum avellentis, & Tyrannidem exercentis usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Hic nequit esse alius, nisi Antichristus, vel assigna quis nam sit: Ergo quamvis Daniel cap. 8. & 11. loquatur de Antiocho capite septimo, & duodecimo loquitur de Antichristo.

CXXIII. Continget 8. infelice illo currente quadriennio, quod contigit in persecutione Antiochi, nempe multi secuti sunt sacerdotalem familiam Mathiæ elapsam Hierosolyma, ut pericula fidem abjurandi vitarent: *Tunc descendunt multi, quærentes judicium, & justitiam in desertum.* Sic multi Christiani vadent ad locum illum absconditum, quem parabit Deus carui illi Senatorum Ecclesiæ, cum suo capite (& ad quem confugiet reliquis quæcumque habebant in civitate) ut quærant judicium circa agendas & non agenda, atque justitiam, hoc est, modum conservandi animas suas in justitia, & lege Christiana: Ac propterea dicebam supra hunc etiam sensum posse inesse illis verbis Domini loquentis

Ff 2

tis

tis de eis temporibus. *Ubiunque fuerit*
Matth. 24. corpus, nempe Ecclesie, illic congregabun-
 tur & aquile? Continget 9. Vera, &
 stupenda miracula Henoc & Elie adver-
 sus fucata & illusoria, quæ de Vicario
Apoc. 13. Antichristi refert Joannes, qui de illis,
 non verò de his, scribit: *Hi habent pote-*
Ib. c. 11. *statem claudendi coelum, ne pluat diebus pro-*
phetis ipsorum: Et potestatem habent super
Ibidem. *aquas convertendi eas in sanguinem, & percu-*
tere terram omni plaga quotiescunque volue-
rint. Multoties quærentur ad necem,
 sed frustra imò magno malo inimico-
 rum, quippe: *Siquis voluerit eis nocere,*
ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimi-
Ibidem. *cos eorum,* ut jam dixi. Hac potestate
 fungentur diebus mille ducentis sexaginta,
 quod est tempus divinitus præfinitum
Ibidem. suæ prædicationi. His diebus transa-
 ctis, cessabit ea potestas, quia tunc *bestia,*
quæ ascendet de abyssu faciet adversus eos bel-
lum, & vincet illos, & occidet eos. Cùm
 igitur hi duo incepturi sint suam prædi-
 cationem quando incipiat universalis
 Monarchia Antichristi, cujus initio ab-
 olebit jure sacrificium Missæ, ut nuper
 dicebam: & cùm Monarchia ea sit du-
 ratura tres annos cum dimidio, ut toties
 dixi, & scripturis tribus ostendi n. 99.
 Si prædicatione horum non est duratura,
 nisi diebus mille ducentis sexaginta, se-
 quitur quòd à fine hujus prædicationis
 usque ad finem Monarchiæ Antichristi,
 seu usque ad mortem hujus erunt sep-
 temdecim circiter dies.
 CXXXIV. Continget 10. in his sep-
 temdecim diebus bellum, quod contra
 illos movebit Antichristus, ut nuper di-
 cebat Joannes, quod non erit bellum,
 quo milites congregiantur cum militi-
 bus, sed quo apparitores, & lictores
 Antichristi quærant illos, explorent an
 capi se sinant, illos capiant, & in custo-
 diam tradant. Continget item Marty-
Ibidem. rium ipsorum. Continget, quòd *cor-*
pora eorum per tres dies, & dimidium, insep-
 tula jacebunt Hierosolymis. Con-
 tingent vanæ illæ reciproca congratula-
 tiones, quoniam *hi duo Prophetæ cruciave-*
Ibidem. *runt eos, qui habitabant super terram.* Con-
 tinget ipsorum resurrectio post illos tres
 dies, & dimidium, ad vocemque illam
 cœlestem *ascendite huc coelum conscen-*
 dent ad præsentiam suorum inimico-

rum, quorum aliqui forsitan facient, quod
 fecerunt illi, qui videntes, quæ fiebant
 in morte Christi *percutientes pectora sua*
verebantur. Continget protinus Hie-
 rosolymis terremotus horrendus, quo
 decima pars Hierosolymæ ruet, & sep-
 tem millia hominum sepeliet. Con-
 tinget, quod nuper dicebam, nempe,
 quòd *reliqui in timorem sunt missi & de-*
rum gloriam Deo caelis forte non transeun-
 ter, sed cum penitentia vera, & quæ la-
 lularis sit, quia fortè hi minùs pecca-
 runt, quàm illa septem millia hominum,
 vel quia cùm proprium sit, inscrutabi-
 lium judiciorum Dei, & investigabilium
 viarum ejus, in causa æquali, unum as-
 sumere, & alterum derelinquere, & hoc
 sine acceptatione personarum, cum
 non sit iniquitas apud Deum; hac de
 causa, ut secundum electionem propo-
 situm Dei firmiter maneat non ex ope-
 ribus, sed ex prædestinante Deo, reliquis
 concedet, ut misericors Pater, tempus
 & auxilia efficacia ad penitentiam: ne-
 gabit autem utrumque illis septem mil-
 libus, ut severus Judex.

CXXXV. Continget 11. quòd ultimo
 illorum septemdecim dierum, nimirum, *quod*
 quando impleti sint tres anni cum di-
 midio, seu tempus, & tempora, & dimi-
 dium temporis, juxta Danielelem, seu
 quadraginta duo menses juxta Joannem,
 cadat in Antichristum, & suum Vi-
 carium, fulmen illud, quod in Baltha-
 sarum temulentum cecidit *mane numeravit*
Deus regnum tuum, & completit illud,
 (quia jam exercuisti Tyrannidem per
 tres annos cum dimidio, seu per duos
 supra quadraginta menses, quod erat
 tempus tibi concessum: *Data est ei pote-*
stas facere menses quadraginta duos)
Thecel: appensus es in statera, & invenis es
minus habens, imò iniquitatum pondere
 prægravis, sicut etiam Balthasar ille in-
 quitatibus prægravis erat; sed conten-
 tus fuit Spiritus sanctus negativum dum-
 taxat exprimere in sententia illa, quia
 negativum solum sententiæ illi suffice-
 bat. *Phares: Divisum est regnum tuum,*
datum est Medis, & Persis: hoc loquendo
 de Balthasare; sed quando loquebatur
 idem Propheta de Antichristo dicit,
 auferendam esse ipsi potentiam *Reg-*
num tuum, & potestatem, & magnitudinem

quæ est super omne cælum datur populo San-
 ctorum Altissimi: Morientur itaque ulti-
 mō illorum septemdecim dierum Anti-
 christus, & Vicarius suus, corporeque
 & anima descendunt in infernum, quip-
 pe vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ar-
 dentis sulphure. Antichristi mors erit,
 qualem supra insinuavi ex Paulo, &
 Isaia. De illo enim scribit Paulus: Quem
 Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, &
 destruet illustratione adventus sui in eum: Si-
 cut etiam sol illustratione sui adventus
 hoc est Aurorâ, fugat obscenas noctur-
 nas aves, & tunc etiam mucro latronis con-
 ditur. Isaia autem prædixerat de IESU
 Christo spiritu labiorum suorum interficiet
 impium, quod nomen indefinitum accipi
 potest determinatè pro Antichristo, qui
 antonamasticè impius erit, maximè ac-
 cedente autoritate illa Pauli.

CXXVI. Neque magna est difficul-
 tas in eo, quòd ambo hi Textus intelli-
 gantur in sensu obvio, & quem verba
 præferunt: si enim Moyses spiritu oris,
 seu labiorum suorum, interfecit rebel-
 lem eam turbam: Confestim igitur, ut ces-
 savit loqui, dirupta est terra sub pedibus eo-
 rum, & aperiens os suum devoravit illos cum
 tabernaculis suis, & universa substantia eo-
 rum, descenderuntque in infernum. Si Elias
 spiritu oris sui interfecit illos duos quin-
 quagenarios cum cohortibus suis. Si ho-
 mo Dei sum, descendat ignis de cælo, & de-
 voret te, & quinquaginta tuos: Si hic idem
 Elias cum suo socio tempore prædica-
 tionis habebunt potestatem occidendi
 inimicos spiritu oris sui, si quis voluerit
 eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devo-
 rabit inimicos eorum. Si qui nuntiabant
 captivitatem Arcæ spiritu labiorum suo-
 rum, sive verbis suis, interfecerunt He-
 li. Cecidit de sella retrorsum iuxta ostium,
 & fractis cervicibus mortuus est. Si Petrus
 verbis suis protinus evexit claudum à
 nativitate. In nomine IESU Christi Na-
 zarenus surge, & ambula, & alio spiritu labio-
 rum suorum duos conjuges subdolos
 necavit. Audiens autem Ananias hæc ver-
 ba, cecidit & expiravit: Si ipse Dominus
 spiritu quoque oris sui alios impios re-
 trorsum projecit: Ut ergo dixit eis: Ego
 sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in ter-
 ram, & spiritu etiam labiorum suorum
 dedit potestatem dimittendi peccata.

Insufflavit, & dixit eis: Accipite spiritum
 sanctum, quorum remisistis &c. Denique
 si apprensus in aere prope Damascum
 Saulo inhiantis sanguini Christianorum,
 spiritu oris sui prostravit Saulum, ut re-
 surgeret Paulus. Saule, Saule quid me per-
 sequeris. Si inquam hæc ita sunt, mirum
 non erit, quòd apprensus Dominus JE-
 sus in aere, & primò corruscatione, atq;
 illustratione adventus sui sternens Anti-
 christum, sicut subito cælesti fulgore
 circumdatus Saulus cecidit in terram;
 deinde sensibilem vocem emittens iuxta
 idioma infelici ei notum, ipsum inter-
 ficiat, & ipsius socios: Et hoc videtur
 Joannes insinuasse, inquiens: Cateri oc-
 cisi sunt in gladio sedentis super equum, qui
 procedit de ore ipsius, quatenus videlicet
 tonante Domino, & jubente contingat
 ille terramotus, qui decimam partem
 Hierosolymæ subvertet, ac septem mil-
 lia hominum occidet; quòd si Dominus
 non appareat in aere, potest ex aliqua
 hostia consecrata (non enim obtinebit
 Antichristus, quòd nullus prorsus Sa-
 cerdos sacrificet adhuc in abscondito
 loco) emittere, & illustrationem, sive
 fulgorem prostermentem illum nequam,
 & vocem occidentem illum: non ergo
 est magna difficultas in eo, quòd utraq;
 illa verba Isaia, ac Pauli intelligantur in
 sensu litterali obvio, & quem verba ip-
 sa sonant.

CXXVII. Quæ autem contingent in
 diebus immediatè subsequentibus, ne-
 ces horum duorum, possunt utcumque
 elici ex Daniele, Ezechiele, & Joanne:
 quamvis Daniel, ut notavi num. 122.
 loquatur de Antiocho capite octavo, &
 undecimo, & quater meminerit ibi de
 ablatione jugis sacrificij, emanatura ex
 illius improbi edicto; ast Cap. 7. & 12.
 loquitur de Antichristo, & cum in duo-
 decimo memoret quoque ablationem
 jugis sacrificij, à tempore cum ablatum fuerit
 iuge sacrificium &c. Videtur ablationem
 hanc emanaturam, non ab Antiocho
 multis retrò sæculis mortuo: sed ab An-
 tichristo, & consequenter videtur loqui
 de ablatione jugis sacrificij Christiano-
 rum, hoc est de abrogatione Missæ: In-
 primis enim Cap. illo duodecimo dicit:
 Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo
 gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud.

Actor. 9.

Apocal. 19.

Num. 16.

4. Reg. 1.

Apoc. 11.

1. Reg. 4.

Actor. 3.

Ibidem. 5.

Joan. 18.

Hæc verba aptari nequeunt commodè, nisi illis ultimis temporibus mundi, de quibus idem, & eisdem ferè verbis dicit Christus Dominus. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Planum videtur, Dominum loqui de eodem tempore, de quo Daniel, seu de quo Gabriel loquebatur Danieli in eo Cap. 12. sed Christus loquitur de ultimis temporibus mundi, quia ibidem addit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &c.* Ergo etiam Gabriel loquitur in eo Capite duodecimo de ultimis temporibus, & consequenter de Antichristo, & de ablatione Missæ, quippe non erit aliud iuge sacrificium, quod auferatur: Deinde ibidem dicit Gabriel: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium.* Neque hæc verba possunt commodè cadere, nisi in ultimum tempus, quia tunc solum erit hæc resurrectio, & diversitas sortium: neque remoretur, quòd Gabriel non dicit, *omnes, qui dormiunt in terræ pulvere, sed multi*, jam enim ostendi suprâ, morem esse Scripturæ ponere *Multi*, pro *omnes*, v. g. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* Præterea cum ibidem quæsisset Daniel ab Angelo: *Usquequo finis horum mirabilium*, audivit Angelum jurantem per Deum, *quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis*, videtur, quòd verba hæc Capitis duodecimi significant idem determinatum tempus, quòd significabant Capite septimo, nimirum tempus Monarchiæ Antichristi; Est itaque vero simillimum, in hoc Cap. 12. esse sermonem de ultimo quadriennio mundi, atque de ablatione jugis sacrificij edicenda per Antichristum, & suum Pseudoprophetam.

CXXXVIII. Dicit ergo Daniel ibi, quòd à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem. (hoc est, imago Antichristi, ut insinuat Joannes, suffecta sit in locum Eucharistiæ) *dies mille ducenti nonaginta*; sed Antichristus initio suæ universalis Monarchiæ (vel paulò post, quia diabolus, quo agitabitur, non finet ipsum longas inducias dare) auferet iuge sacrificium, & substituet illam abominatio-

nem. Ergo dies illi numerandi sunt ab initio physico, vel morali Monarchiæ illius; sed initio eodem incipient prædicare Henoc, & Elias, ut est credibile, quia nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia, præsertim in tempore adeo periculo. Ergo dies illi numerandi sunt ab initio dictæ Monarchiæ Antichristi, & prædicationis horum Prophetarum. Sed hi prophetabunt diebus mille ducenti sexaginta: Ergo ex illis mille ducentis nonaginta jam habemus mille ducentos sexaginta communes Antichristo, & eis duobus Sanctis. Sed Antichristus regnurus est diebus mille ducentis septuaginta septem, quando quidem regnurus est quadraginta duobus mensibus, seu tribus annis cum dimidio, ut toties dixi ex Scriptura: Ergo regnabit septemdecim diebus post mortem illorum duorum, & consequenter diebus septemdecim erit diuturnior Monarchia Antichristi, quàm prædicatio Henoc, & Eliæ: Ex illis ergo diebus mille ducentis nonaginta, quos dicit Daniel à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium, habemus expendendos mille ducentos septuaginta septem, partim prædicatione illorum Sanctorum, partim Monarchia Antichristi; restant usque ad nonaginta tredecim dies. Quid in his continget?

CXXXIX. Respondeo huic dubio, quo incepi numerum 127. Continget 12. atrox illud bellum Gog, & Magog, de quo fusè egi Capite 5. contra Ecclesiam illam ultimam, id est, contra illum supremum Ecclesiasticum Senatam cum suo Capite, & contra illos Fideles, qui ut dicebam num. 123. sequentur fugitivam eam Ecclesiam. quæ aquilinis alis adjuncta per Deum discesserat ab exciâ jam, & combusta Roma in locum ibi paratum à Deo, ut explicui Capite 6. De Gog namque dicebat Ezechiel citatus suo loco venturum in novissimo antichristum, item in novissimis diebus. Et hi tredecim dies videntur esse illud modicum tempus, quo solvendum esse diabolum ad ultimum hoc bellum inferendum Ecclesiæ, prædixit Joanni Angelus quidam, & videntur esse brevitas illa, de qua Dominus inter loquendum de ultimis temporibus; nisi brevitas fuisset dies

illi, & significantur illo verbo Ezechielis de hac re loquentis, quasi *tempestas*; quæ non multum durare solet; Et quamquam, ut ibi dicebam soli tredecim dies sint valde modicum tempus ad tanta molimina belli, qualia Joannes ibidem, & Ezechiel Capitibus 38. & 39. referunt, si bellum illud parandum, & inferendum esset sola arte, viribus, & industria humana; at cum parandum, & inferendum sit arte, viribusque diaboli qui congregabit eos in prælium, & quidem solutus à catena: solvetur *Satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes* &c. Impossibile non erit viribus, multitudiniqu; diabolorum, suo duci subordinatorum, qui probè sciet, quod modicum tempus habet, excitare, movere, trahereque ex quatuor partibus mundi examina illa populorum, quos dicunt Ezechiel, & Joannes. Etenim diaboli amiserunt utique gratiam cum tota sua suppellectili, sed non naturâ. Quocirca quo ad naturalia multi eorum sunt æquales, multi superiores, respectu multorum sanctorum Angelorum. Jam quantæ, ac quales sint Angelicæ vires naturales, constat ex illo, qui paucis momentis temporis in impetu spiritus sui transtulit per aera Haabacuc ex Judæa Babylonem, apprehensum capillo capitis sui. Constat ex illo, qui nocte una percussit in castris *Affiriorum centum octoginta quinque milia*. Constat ex duobus illis, à quibus Sodomam est subversa in momento, ut dicit Jeremias, quatenus nimirum Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrhæam sulphur, & ignem à Domino de celo, & subvertit civitates has, & omnem circa Regionem universos habitantes Urbium, & cuncta terra viventia. Constat ex impetu, & velocitate nobis ferè inapprehensibili, qua spatio paulò majore, quam 24. horarum, circumagunt immensum corpus solare, Saturninum ab ortu in occalum singulis diebus: Cum ergo tanta sit Angelica vis, & diaboli viribus naturalibus non sint privati & in ultimo eo tempore futuri sint soluti à catena (hoc est, permisi à Deo nunc compeccente illos) materia non est admirationis, quod modico illo tempore tredecim dierum, excitent horrendam illam procellam, quam dicunt ambo illi Propheta, cum præter dictas vires,

propriis Angelicæ naturæ, accedat innumerabilis multitudo infelicitum eorum spirituum adjuvantium Ducem suum in ultimo certamine constitutum. Reliqua de hoc bello dedi Cap. 5. ubi distingue actuale bellum, & excitationem præparationemque illius. Hæc potest incipere multo ante; sed bellum formale durabit tantum diebus 13.

§. IV.

CXXX. Transactis his tredecim diebus tantæ tribulationis, & angoris in illa afflicta Ecclesia fugitiva forsan ad Palæstinam, ut supra dicebam num. 96. (ut verificetur etiam secundum litteram illud Propheticum de fidelibus exeuntibus ad spolia exercitus Gog colligenda. *Egredientur habitatores de Civitatibus Israel, & succendent, & comburent arma* &c. *Ezech. 39.* Et consequenter transactis illis mille ducentis nonaginta diebus ab initio Monarchiæ Antichristi, seu ab ablatione jugis sacrificij, quos dicit Daniel: restant quadraginta quinque circiter dies usque ad adventum Christi, atque ad suum manifestum regnum, quia tunc ab omnibus omnino, sive volentibus, sive nolentibus, agnosceatur, quia videbunt eum constitutum esse à Deo Judicem vivorum, atque mortuorum; Etenim post dictum illum dierum octoginta subjungit Daniel: *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Et Joannes post narratam cladem atque damnationem Gog, immediatè subjungit: *Et vidi thronum magnum candidum (ad significandum sinceritatem Judicij tunc peragendi, & sententiæ dandæ) & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inventus eis. nempe quia ad præsentiam tantæ majestatis non comparebant) & vidi mortuos magnos, & pupillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum.* Hæc omnia manifesta sunt indicia adventus, & regni Christi, nec non resurrectionis, ac judicij universalis: ergo scribens hæc Joannes immediatè post supplicium Gog, & cum eo quasi connectens illa, videtur prædicere

dicere, quod ea contingent, non multo post illud supplicium; sed hoc sumerur de Gog die millesimo ducentesimo nonagesimo ab initio Monarchiæ universalis Antichristi, hoc est, ab ablatione jugi sacrificij; juxta calculum nuper datum. Ergo non multum post eum nonagesimum diem erit adventus, & manifestum regnum Christi, id est, manifestatio suæ Judiciariæ universalis potestatis. Id non multum videtur esse illi quadraginta quinque circiter dies (propter solitam difficultatem, nempe *inclusivè*, aut *exclusivè*) qui erunt à 1290. usque ad 1335. qui quadraginta quinque dies, quanquam in se non sint modicum tempus; at respectu totæ sæculorum, quibus mundus duravit, & quibus Christus Dominus distulit suum adventum, cum patente potestate judiciaria, & Regia, non multum, sed modicum sunt. Transactis illis 1290. diebus addit Daniel. *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*: Nam qui ex ultimis illis hominibus lapsi fuerint tempore Antichristi, vel Gogi, & ex divina clementia conservati fuerint, ut respiciant, & dies illos quadraginta quinque intermedios expenderint, non quidem luxu, & morum relaxatione, ut supra dicebam num. 74. sed expectatione, atque spe jamjam venturi Christi Regis, & Judicis: hi inquam, pervenient ad diem 1335. hoc est, ad diem Judicij, non ut rei damnandi; sed ut fortes Athletæ remunerandi: Sensus itaque illorum verborum Danjelis videtur esse. Ab initio tyrannidis Antichristi dies 1290. nempe usque ad mortem, & damnationem Gog, qui cum venturus sit in novissimo annorum, & in novissimis diebus juxta Ezechielem, erit ultimus persecutor Ecclesiæ; quæ post illius interitum 45. dies fruetur pace tranquilla. Rursus ab eodem initio dies 1335. nimirum usque ad judicium universale. *Vidi thronum magnum &c.* & consequenter usque ad adventum, & regnum Christi; & beatus erit, qui dies intermedios expectatione, non autem luxu, & curis vitæ hujus expenderit: quæ contingent in illis intermediis 45. diebus pacis, exposui fusè num. 73. & seqq. *Recognosce illa, quia hic est ius etiam*

locus. Versus illorum finem eveniet, quod Dominus prædicit. *Sol obscurabitur*, quia vel Deus compescet suam virtutem illuminativam, sicut compescit Babylone virtutem combustivam, vel quia commota immensa viscera illius mittent fumos, & fuligines multo plures, & majores, quam modo: unde Joanni visus fuit *niger tanquam saccus cilicinus*. Item: *Luna non dabit lumen suum*, quia cum totum sit reflexum, deficiente lumine directo cessabit reflexum.

CXXXI. Fatalis itaque hujus mundi dies videtur esse illa trigesima quinta post millesimam trecentessimam à jugi sacrificio abrogato, id est ab impio edicto Antichristi contra sacrificium Mille, quamvis, ut jam advertebam, non debeat probi Sacerdotes, qui clam, & in loca abditi, sive in orypris, ut olim tempore Paganorum, offerant quotidie Deo sacrum sacrificium Missæ, saltem illi, quibus componetur supremus Ecclesiasticus Senatus, qui fugit ad locum desertum, sibi paratum à Deo, ut dicebam Capite 6. Cum autem dies incipiat mediatur post mediam noctem, quando videlicet sol incipit appropinquare nostro orizzonti, videtur, quod vox illa Archangeli, & tuba Dei vocans mortuos ad vitam & judicium, de qua Paulus, & consequenter resurrectio universalis, adventusque Christi Domini ad judicandum vivos, & mortuos, incipient media circiter nocte. Paulus enim dicit ibi. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*. Et Christus Dominus connectens per illud *non* quo incipit Caput 25. parabolam decem Virginum cum doctrina de suo adventu ad judicium universale, dicit in ea parabola. *Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, & de eadem re loquens apud Lucam ait; si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & non tulerit, beati &c.* Vigiliæ autem sunt partes nocturni temporis: & apud Marcum. *Nescitis enim, quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane*. Omnes hæc sunt partes noctis, aut ipsæ contigunt; Unde quamvis non sciamus, attamen conijcere possumus adventum Christi Domini futurum tempore implexiter, aut fere nocturno, ex eo, quod

quod semper ac docemur, adventum illum, docemur cum Commemoratione temporis nocturni, & nulla est difficultas in eo, quòd dicti Textus intelligantur ut sonant. Vide Disp. 4. n. 1. & seqq. Accedit Allegoria, quoniam primus Christi adventus, hoc est, natiuitas fuit ad mediam noctem, & resurrectio fuit non multum à media nocte Sabbati. Unde per Allegoriam dicit Scriptura, loquens de strage Primogenitorum Ægypti: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus de caelo à Regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram profiluit*; non est ergo improbabile, sed potius his Scripturis consonum, quòd tempore nocturno veniat Christus Dominus ad iudicandum: sed non tempore nocturno ante mediam noctem diei 34. quia tunc nondum inceptit dies naturalis 35. ergo tempore nocturno post illam mediam noctem, quia illud jam est pars diei 35. Et hæc videtur mysteriosa illa dies, de qua ait Zacharias, loquens de adventu Domini ad iudicium. *In die illa non erit lux, (quia nondum erit obortus sol) sed frigus, & gelu, quæ duo post mediam noctem intendi solent, dies una, quæ nota est Domino, quia hic solus illam scit, non dies neque nox, quia sol præsens non lucebit, ut nuper dicebam; Et in tempore vesperi erit lux quia tunc finietur iudicium universale, de quo sine infra. Demum cum Daniel ita accuratè notans diem illum 35. non loqueretur apud nostros Antipodes, sed in Chaldæa, quæ est Regio sub nostro Hæmispherio, videtur locutus de die respectu Hæmispherij nostri, erit igitur media nox, aut circiter in his nostris Regionibus, & in Antarcis, meridies verò in Antipodis, & in Periacis nostris, quando Dominus ad iudicandum venerit; meridies inquam, & media nox non cum allusione ad lucem, quia tunc nullam dabit, utpote illà orbis, ut nuper dicebam, & nondum renovatus sol; sed cum allusione ad locum, quem habebit in caelo.*

CXXXII. In fatali ea media nocte, vel paulò ante illam diei 34. & initio 35. mortui jam erunt omnes prorsus homines sublunares, cadentibus de cœ-

R. P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.

lo, & erumpentibus de terra fluvij igneis, de quibus egi Disp. 1. num 52. quia licet graves aliqui, & antiquissimi Patres negaverint, vel saltem dubitaverint, morituros esse omnes homines sanctos, qui in ultima periodo mundi viduri sunt (quam rem fusè disputavi Decade 1. num. 25. occasione Apostolica illius sententia: *Statutum est hominibus semel mori.*) Communis tamen omnium Theologorum sententia fert, omnes omnino illos morituros, & non conservandum seminarium hominum, sicut fuit conservatum tempore diluvij: nempe quia post hoc futuræ erant humanæ generationes impleturæ iterum globum terraqueum, secus post iudicium universale, & cum Iusti illi dicere debeant humilitate verace: *Dimitte nobis debita nostra*, mors illa violenta erit Purgatorium illorum, & verba Angeli apud Danielem: *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies 1335.* non cogunt negare mortem alicujus ex illis, sed dicitur beatus, qui expectat, & pervenit usque ad illum diem, quia cum mors illorum omnium ultimorum hominum brevissimo tempore sit duratura, quia paulò post omnium mortem futura est omnium resurrectio, idè mors illa non reputatur, & censetur, quasi non esset juxta Regulam secundam, multis Scripturis firmatam, quam dedi Decade 2. Quocirca beatus erit, qui in hoc sensu pervenit ad illam 35. diem expectans adventum Domini, & consequenter non coinquinans animam suam relaxationibus, quas insinuaui num. 74. & seqq. in illa media nocte combustus jam erit totus hic mundus inferior per diluvium ignis, sicut olim fuit inundatus per diluvium aquæ, & sicut nefandæ illæ quatuor Civitates, (quintæ pepercit Deus propter preces Loth) pluvia ignea fuerunt etiam in momento exustæ cum vicina Regione: quod autem mundus hic periturus sit igne, fortè quia maculæ ipsius plures, peiores, & tenaciores sunt, quam maculæ illius prioris, qui aqua perijt, item quod ignis ille partim erupturus sit ex visceribus terræ, igne refertis, ut constat ex frequentia balneorum, & montium ignivomorum, partim autem irruurus sit ex igneis syderibus, sicut aqua dilu-

Gg

dilu-

Sapient. 18.

Zach. 14.

Ad Hebr. 9.

Genes. 19.
v. 21.

Genes. 19.

diluvij partim emerferunt ex visceribus terræ, partim præcipitârunt è cælo aqueo. Hæc inquam explicui Disp. 1. à num. 52. Quod autem ignis ille non sit omninò redacturus in favillam mundum, aut astra, aut æthereas Regiones, ostendi in Philosophia naturali Disp. 3.

CXXXIII. Jam vides omnia hæc de fatali illa nocte diei trigesimi quarti, & de fatali eo die 35. esse meras conjecturas cum uno, vel altero probabilitatis gradu. Non enim constat certò, Daniele dixisse diem illum 15. fore diem adventus Christi Domini, & quamvis id constaret, cum nesciamus, quando futurus sit ille dies 35. quia id pendet à significato illorum verborum, à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, quæ scribit non alibi, sed determinatè in eodem Capite 12. idcirco in sensu composito omnium, quæ dixi, stat infallibile illud:

Matth. 13. De die autem illo, vel hora nemo scit &c.

Quod attinet ad Chronologiam, & numerum annorum, qui restant usque ad finem mundi, est res non solum incerta, sed insuper est minus conjecturabilis. Fuit antiqua persuasio, mundum hunc conservandum à Deo sex millibus annorum, sicut conditus fuit sex diebus, siquidem ante Deum mille anni sunt, sicut dies hesternæ, quæ præterijt, & initio septimi millenarij cessaturum Deum ab eisdem conservatione, sicut die septima cessavit à creatione. Hæc opinio, quam supra insinuavi obiter, præciscindendo à sua veritate, falsa videtur: Primò, quia juxta calculum, quem sequitur Martyrologium Romanum, Christus Dominus natus est anno 5199. à creatione mundi, sed modò jam habemus annos 1718. à nativitate Christi. Ergo jam transferunt ultra sex millia annorum à creatione mundi. Et tamen hic durat adhuc, currente septimo millenario multo abhinc tempore. 2. Quia vel mundus accipitur pro creaturis rationalibus, quas initio condidit (& neque in septimo millenario, neque unquam in tota æternitate cessabit ab earum conservatione, quoniam Angeli, & homines boni æternum præmium suscipient, sicut etiam Angeli, & homines mali suscipient æternum supplicium) vel accipitur pro mundana materiali fabrica ter-

ræ, astrorum, & Empyreï; & neque ab horum conservatione cessabit; quippe illud cælum novum, & terra nova, de quibus loquuntur Petrus, & Joannes, sunt hæc eadem terra, & hi idem cœli renovati, purgatique in fine mundi, ut suo loco dixi; & est usitatum in scriptura dicere, tunc rem fieri, sive ædificari, quando specialem acquirit in suo genere ornatum, & splendorem, aut confirmationem, aut aliam perfectionem, ut multis exemplis ostendi Decade 4. n. 36. & seqq. v. g. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, aiebat Petrus in Casu Cornelij, cum multò ante id scivisset, sed tunc specialem habuit confirmationem illius, quod jam sciebat. Item: Crediderunt in eum Discipuli eius, nempe post casum conversionis aquæ in vinum, cum jam ante credidissent, quando relictis omnibus, secuti sunt eum, sed tunc accepit speciale robur sua fides. Similiter; Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi, cum multò ante ipsum ædificata fuisset illa Civitas à Nemrot, aut à Semiramis &c. Sed à Nabuchodonosore acceperat specialissimum ornatum ac splendorem. Creabit igitur Deus cœlos novos, & terram novam, quatenus hæc eadem multò magis perficiet, ornabit, illustrabit, ita ut iuxta promissionem Isaïæ: *Erit lux luna, sicut lux solis, & lux solis erit septemplex, sicut lux septem dierum: quando? in die, quæ alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plage ejus sanaverit.* Nempè quãdo sanctus animabus reunitis corporibus, *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Hæc sunt, quæ addit Joannes, quando scribit illud de cælo novo, & de terra nova: non ergo est verum illud de celsatione à mundo conservando, incipiente septimo millenario, sicut cessatum est ab illo producendo, incipiente die Sabbati, sive die septimo.*

CXXXIV. Censent alij, Evangelicam legem duraturam duobus millibus annorum: Et cum modò habeamus 1716. à nativitate Christi, à Pentecoste autem, quando lex Evangelica cepit prædicari publicè à Petro, habeamus 1681. circiter; ab initio vero prædicationis Christi ipsius

ipſius habeamus 1678. plùs, minùsve, facilè erit inferre conjeſturaliter, quot reſtent anni ex hoc præſente uſque ad finem mundi, juxta hanc trinam diverſitatem, ex qua poteſt initium ſumi legis Evangelicæ: Item, quod reſtent anni uſque ad initium abſolutæ Monarchiæ Antichriſti, qui eſſræne ſuum Imperium incipiet tribus annis, ſex menſibus; & quinquaginta ſeptem diebus ante finem mundi, juxta paulò ante dicta ex capite 12. Danielis: *Ab eo tempore, quo ablatum fuerit juge ſacrificium &c.* En Systema ultimi quadrienni, quod probabiliter dumtaxat ratiocinando, & interdum divinando, formari poteſt ex eis, quæ Authores Canonici, & præſertim Ezechiel, Daniel, & Joannes docuerunt nos circa illud. Fideles, qui tunc vivant (& pro quibus præcipuè illa dictavit Spiritus ſanctus, ut combi-nantes, quæ tunc videbunt cum ſcriptura, videntèsque illa tot retrò ſæculis fuiſſe prædicta, hac prædictione roborètur contrà minas, terrores, fallaciàsque tunc graſſatures) Liquidum, & germanum ſenſum aſſequentur earum ſcripturarum nobis tunc non victuris, ſufficiebat notitia valdè obſcura, quam nobis ſuggerunt ſcripturæ illæ.

CAPUT VIII.

Tres ultimæ reflexiones.

CXXXV. Prima ſuper illos decem Principibus, Prodomos Antichriſti, fugaturos Senatam Eccleſiaſticam cum ſuo Capite, & everſuros Romam. Hiſubique in ſcriptura dicuntur decem, atque futuri ex & in Romano Imperio, id eſt, ex & in Regionibus, quibus conſtabat antiquum Imperium illud, ut inſinuavi ſuprà n. 109. & modo confirmo: nam quarta infima pars ſtatue, quam vidit Nabuchodonofor, ſignificabat Imperium Romanum, *Regnum quartum erit veluti ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, & conteret omnia hæc, quæ intelliguntur, ut manifeſta ſigna præſici Romani Imperii; Et in ea quarta infima parte videbantur digiti pedum, (qui digiti decem erant, quia decem eſſe ſo-*

R. P. Ulloa de Principio & fine Mundi.

lent) partim fictiles, partim ferrei; qui tamen ex ferro illo oriebantur, & conſequenter ex Imperio Romano. Undè addidit Daniel: *Regnum diviſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundùm quod vidisti ferrum mixtum reſte.* Rurſus quarta beſtia, quam vidit ipſe Daniel, *terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, præfigurabat juxta communem ſenſum idem Romanum Imperium: Et in ea quoque erant cornua decem, de quibus dictum fuit Propheta: Cornua decem ipſius regni decem Reges erunt.* Utrobique itaque ſignificabantur futuri decem Principes in regionibus, quibus componebatur Imperium Romanum; cum hoc tamen diſcrimine, quod Daniel vidit illos in capite, Nabuchodonofor autem in infima parte ſtatue; nempe Propheta vidit illos, ut Reges, hic verò ut *Ultimos.* Unde hic vidit illos in ultima parte ſtatue, ſcilicet in pedibus, ille autem in prima, nempe in capite. Vel quia Propheta utpotè civi privato propoſiti ſunt, ut digni cultu civili, nempe in capite, Nabuchodonofori utpotè Regi ſuperbo propoſiti fuerunt illi, qui etiam erant Reges, in pedibus, ut diſceret exemplo alieno. Fateor beſtiam etiam; quæ juxta Joannem præfigurabat Antichriſtum, apparuiſſe cum decem cornibus, nec non beſtiam, quæ ſignificabat diabolum geſtatem Romam antiquam, ſed hoc non impedit, quod etiam utraque hæc cornua ſignificent illos ultimos decem Principes, quia ut jam adverti capite 4. Beſtia præfigurans Antichriſtum armabatur decem cornibus, quia Antichriſtus occupabit dominia, & regiones illorum decem, & ſolenne eſt regibus armari potentia, & robore regnorum, quæ acquirunt. Beſtia verò, quæ ſignificabat diabolum, habebat quoque decem cornua, quia infælices illi decem Principes *virtutem & poteſtatem ſuam beſtia tradent, & antiquum etiam eſt triumphanti ornari ſpiliis triumphatorum.*

CXXXVI. Hi decem Principes con-nubia inter ſe miſcebunt, & filix, aut ſorores unorum nubent aliis; ſed propter rationes politicas ſtatùs, quæ nunquam deſunt, (& maxime propter diverſas indoles, quas habebunt) non be-

G g 2

nè

Idem. c. 7.

ib. c. 17.

ibidem.